



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] peccatum veniale possit remitti sine mortali? 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

peccata venialia remittuntur. Secundo, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo confessio generalis, unctio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum: nam in oratione Dominica petimus, Dimitte nobis debita nostra. Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reuerentiæ, in Deum, & ad res diuinas. Et hoc modo benedictio episcopalis, asperio aquæ benedictæ, qualibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt huiusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod omnia ista causant remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum penitentiae: qui est detestatio peccatorum, vel implicite vel explicite.

Ad secundum dicendum, quod omnia ista quantum est de se, operantur ad remissionem omnium peccatorum venialium. Potest tamen impediri remissio quantum ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhæret: sicut & per fictionem interdum impeditur effectus baptismi.

Ad tertium dicendum, quod per prædicta tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam, in virtute alicuius satisfactionis, tum etiam virtute charitatis, cuius motus per prædicta excitatur. Non autem per quodlibet prædictorum semper tollitur totus reatus pœnæ: quia sic qui esset omnino immunis à peccato mortali, aspersus aqua benedicta, statim euolaret. Sed reatus pœnæ remittitur per prædicta secundum modum feruoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minus.

## ARTIC. IV.

*Utrum veniale peccatum possit remitti sine mortali?*

335  
Inf. q. 90  
a. 4. ad 3  
et 4. d. 16  
q. 2. a. 1.  
q. 2. & 3.

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod veniale peccatum possit remitti sine mortali. Quia secundum illud Ioann. 8. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Dicit quædam glossa, quod

quòd \* omnes illi erant in peccato mortali: venialia enim eis dimittebantur per cæremonias. Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

\* Ex Cyril. l. 5. in 10. c. 16. & 17.

¶ 2 Præterea, Ad remissionem peccati venialis non requiritur gratiæ infusio: requiritur autem ad remissionem mortalis. Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

¶ 3 Præterea, Plus distat peccatum veniale à mortali, quàm ab alio veniali. Sed vnum veniale potest dimitti sine alio: vt dictum est \*. Ergo veniale potest dimitti sine mortali.

art. præc. ad 2. & q. præc. ar. 3.

SED contra est, quòd dicitur Matth. 5. Amen dico tibi, non exies inde, (scilicet ex carcere in quem intruditur homo pro peccato mortali) donec reddas nouissimum quadrantem, per quem significatur veniale peccatum. Ergo veniale peccatum non remittitur sine mortali.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut supra dictum est \*) remissio culpæ cuiuscumque numquam fit nisi per virtutem gratiæ: quia vt Apostolus dicit Rom. 4. Ad gratiam Dei pertinet, quòd Deus alicui non imputet peccatum: quod gloss. ibi exponit de veniali \*. Ille autem qui est in peccato mortali, caret gratia Dei. Vnde nullum veniale sibi remittitur.

q. præc. a. 6. & q. 87. a. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd venialia ibi dicuntur irregularitates siue immunditiæ, quas contrahabant secundum legem.

gl. inter l. ibi super illud Eeatus cui non imputauit Dominus peccatum.

Ad secundum dicendum, quòd licet ad remissionem peccati venialis non requiratur noua infusio habitualis gratiæ, requiritur tamè aliquis gratiæ actus, qui non pòt esse in eo qui subiacer peccato mortali.

Ad tertium dicendum, quòd peccatum veniale non excludit omnem actum gratiæ, per què possunt omnia peccata venialia dimitti. Sed peccatum mortale excludit totaliter habitum gratiæ, sine quo nullum peccatum mortale vel veniale remittitur. Et ideo non est similis ratio.